



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Dispvatio IX. De Accidente, quod est quintum prædicabile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Respondeo distinguendo maiorem: est proprietas eius metaphysica, quæ sola spectat ad hoc prædicabile quartum, nego; proprietas physica spectans ad quintum prædicabile concedo maiorem; & concessa minori, nego consequentiam.

Obiicies secundò: Dantur aliqua propria quarti prædicabilis, quæ non conueniunt soli speciei: ergo male definitur proprium esse, quod conuenit soli speciei. Probatur antecedens, quia aptitudo ad sentiendum est proprietas hominis; sed tamen aliis rebus conuenit, quam homini, ut brutis: ergo datur aliquid proprium, quod non conuenit soli speciei. Probatur maior, quia illa aptitudo non est nec genus, nec species, nec differentia vlla hominis vllius, nec accidens quinti prædicabilis, cum nequeat etiam de potentia Dei absoluta ab homine separari; ergo debet esse quarti prædicabilis.

27. *Respondeo* distinguendo antecedens, quæ non conueniunt soli speciei infimæ, concedo; quæ non conueniunt soli speciei infimæ vel subalternæ, vel cuiuscumque, à qua formaliter emanat, aut cui per se primò competit, nego antecedens; & concessa maiori ac minori probationis distinguo similiter consequens: quæ non conuenit soli speciei infimæ, concedo; quæ non conuenit soli speciei infimæ aut subalternæ, nego consequentiam. Itaque quando dicitur quod proprietas conueniat soli speciei, & omni indiuiduo eius, hoc omnino debet intelligi de specie illa seu ratione formali, ratione cuius conuenit proprietas indiuiduis, non verò de specie infima illorum indiuiduorum; verbi gratia sensitiuitas est proprietas Petri & Pauli, & conuenit ipsis præcise non ratione rationalitatis, nec quatenus homines sunt, sed quatenus sunt animalia, unde sensitiuitas non debet competere soli homini seu speciei humanæ, & indiuiduis eius omnibus ac solis, sed soli animali & omnibus eius ac solis indiuiduis ita, ut omne indiuiduum, quod est animal, sit necessario sensitiuum & nullum indiuiduum, quod non est animal, sit sensitiuum. Unde patet dari duo genera Propriorum, vnum eorum, quæ non sunt infimæ, aliud eorum quæ sunt infimæ.

28. *Et si queratur*, an sint distinctæ speciei in esse prædicabilis.

Respondendum conformiter ad resolutionem datam supra de differentia num. 15. probabile esse quod sint distinctæ a speciei.

Et si queratur rursus, in ordine ad quid constitutur proprium in esse vniuersalis & prædicabilis. *Respondetur* quod in ordine ad inferiora speciei illius, cui immediate competit, seu à qua immediate emanat; verbi gratia sensitiuitas constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad omnia indiuidua animalis, & risibilitas in ordine ad omnia indiuidua hominis, quia debent esse aliqua plura & inferiora, in ordine ad quæ constitutur in esse talis, sed non sunt alia plura præter illa inferiora & indiuidua, respectu quorum possit habere rationem quarti prædicabilis.

29. *Confirmatur* per omnia, quæ dicta sunt de Differentia supra disput. 7. num. 22.

Dices: per ordinem ad illa proprium dicitur vniuersale, quibus est proprium: sed indiuiduis speciei est commune & non proprium: ergo non est vniuersale in ordine ad illa, sed potius ad speciem.

Respondet Auerſa hic scilicet. 3. negando minorem, dicit enim quod habeat rationem proprii per ordinem ad naturam seu speciem à qua profuit immediate, rationem vero vniuersalis in ordine ad inferiora illius speciei.

Sed responderi potest aliter, negando minorem, potest enim esse proprium & commune respectu eorumdem inferiorum, commune quidem, quatenus participatur ab omnibus simul cum natura specifica, proprium vero quatenus non participatur ab aliis, & necessario consequitur ipsa; & sicut differentia, licet sit communis inferioribus suæ speciei, est tamen differentia eorum non quidem qua differant inter se, sed qua differant ab aliis: ita proprium, licet sit commune omnibus inferioribus alicuius speciei, potest tamen esse cuiuslibet eorum proprium; non quidē quasi aliis indiuiduis eiusdem speciei non cōpeteret æque sed quod non competat vlli indiuiduo alterius speciei.

DISPUTATIO IX.

DE ACCIDENTE,

Quod est quintum Prædicabile.

ACCIDENTI S huius tres assignat definitiones seu descriptiones Porphyrius, quarum hæc est prima: *Accidens est quod potest adesse & abesse præter subiecti corruptionem*, ut calor se habet respectu corporis. Secunda: *Accidens est quod contingit eidem inesse & non inesse*. Tercia: *Accidens est quod neque est genus, nec differentia, nec proprium; inest autem subiecto*. Ex his definitionibus tertia, cuius sensus est, quod illud sit accidens quintum prædicabile, quod cum possit prædicari de pluribus, non est prædicabile de illis vllò modo ex illis, quibus quatuor prima prædicabilia possunt prædicari de pluribus, minus valet, quia quamuis hoc sit verissimum, & sufficientissime posset aliquis cognoscere, aliud prædicabile pertinere ad quintum prædicabile ex eo, quod videret illud non posse prædicari vllò ex illis modis; tamen non propterea sufficienter declaratur natura quinti prædicabilis per hæc descriptionem positum, sed solum negatiue; quia non ostenditur modus particularis prædicandi, qui competit quinto prædicabili, sed potius ostenduntur modi prædicandi, qui non competunt ipsi, & propterea ut quis cognosceret aliquid spectare ad quintum prædicabile, deberet, si aliam non haberet descriptionem quam hanc, percurrere modos prædicandi cæterorum prædicabilium, ut videat an aliquis ex illis ipsi conueniat. Quare communiter præferuntur duæ primæ definitiones, quæ in re conueniunt: unde solam primam particulariter hic examinabimus, quæ frequentius est in usu.

QVÆSTIO VNICA.

Virum bona sit prima Accidentis descriptio.

2. **S**uppono cum communi sententia prædictam descriptionem primam, qua dicitur: *Accidens esse quod possit abesse & adesse præter subiecti corruptionem*; posse accommodari accidenti tam primo, quam secundo intentionaliter sumpto; nam si intelligatur per *abesse & adesse*, quod possit realiter coniungi & separari cum illo, respectu cuius dicitur accidens, conuenit accidenti primo intentionaliter sumpto; & si intelligatur per *abesse & adesse*, quod possit prædicari contingenter de pluribus, hoc est tanquam aliquid, quod ipsis contingenter accidit, conuenit accidenti secundo intentionaliter sumpto: potest autem sine dubio utroque modo intelligi illa descriptio. Sed sane longe clarius describeretur accidens secundo intentionaliter sumptum, si diceretur esse: *quod potest prædicari de pluribus contingenter, seu non necessario*.

CONCLUSIO.

3. *Illā descriptio est bona*. Hæc est communis, & patet, quia conuenit omni & soli accidenti, & in ea abique superfluitate ostenditur positue natura accidentis, prout distinguitur à cæteris vniuersalibus, constatque genere & differentia: nam per hoc quod dicatur conuenire posse subiecto, hoc est pluribus cum multiplicatione, de quibus affirmari possit, vere exprimitur ratio vniuersalis ut sic, quæ est genus, in quo conuenit cum cæteris vniuersalibus: & per hoc quod dicitur, quod ita conueniat illis pluribus, ut absque ipsorum destructione possit non conuenire ipsis, exprimitur eius differentia, qua differt à cæteris vniuersalibus: neque enim est vllum ex cæteris vniuersalibus, quod non necessario conuenit pluribus illis, quibus possunt inesse, & de quibus possunt prædicari, ita ut de potentia absoluta non possit fieri, maxime in nostra sententia, ut separaretur: nullum est autem accidens quinti prædicabilis, quod ita necessario conuenit illis pluribus, quibus accidit, quin de potentia absoluta possint esse illa plura absque illo. Et quamuis Porphyrius diuidat accidens quinti

An proprium sit species infima vniuersalis.

In ordine ad quid constitutur in esse vniuersalis.

Definitio prima accidentis potest accommodari metaphysico & logico.

Definitio prima accidentis est bona.

quinti prædicabilis, prædicta definitione à se definitum, in accidens separabile, & inseparabile; tamen per accidens inseparabile non intelligit quod sit inseparabile in ordine ad potentiam absolutam, & si id intelligeret, erraret; sed in ordine ad potentiam naturalem, & fortassis etiam non intellexerat, quod deberet esse inseparabile in ordine ad potentiam naturalem simpliciter, quasi in nullo casu non posset separari naturaliter, sed sic ut non posset separari, nisi valde raro & difficillime.

4. *Obiicies:* Anima rationalis potest prædicari de pluribus corporibus in quale contingenter, & potest illis adesse & abesse absque subiecti corruptione: sed non est accidens, quando quidem sit substantia: ergo prædicta definitio non est bona definitio accidentis.

Respondeo distinguendo minorem: non est accidens prædicamentale oppositum substantiæ, hoc est aliquid aptum natum in hære, concedo minorem; non est accidens quinti prædicabilis, hoc est aliquid prædicabile contingenter de pluribus cum multiplicatione, nego minorem; potest enim esse accidens hoc modo sumptum, quamuis sit substantia. Et distingo etiam consequens: male describitur accidens prædicamentale prædicto modo, si ita describeretur, concedo; male describitur accidens quinti prædicabilis, nego consequentiam.

Obiicies secundo: Mors est accidens hominis, & combustio domus, sed neque mors potest adesse homini sine sui destructione, neque combustio domui: ergo male dicitur, quod accidens possit adesse & abesse sine subiecti corruptione.

Confirmatur, quia nigredo non potest abesse coruo, hæc albedo niui absque eorum corruptione: sed nigredo est accidens coruo, & albedo niui: ergo male dicitur, quod accidens possit abesse absque subiecti corruptione.

5. Hæc obiectio facit negotium Doctoribus, sed facile respondetur distinguendo minorem: absque sui destructione quoad essentiam, nego; quoad existentiam, concedo, & nego consequentiam. Itaque quando dicitur, quod possit accidens adesse & abesse absque subiecti corruptione, scilicet est quod quamuis adsit subiecto, aut absit à subiecto non propterea sequatur nec à priori neque à posteriori, quod subiectum sit alterius essentia quam fuisse siue adesset siue abesset illud accidens; & per hoc distinguitur accidens à cæteris quatuor vniuersalibus. Nam si animal, verbi gratia abesset homini, & bruto, certum est quod non essent eiusdem speciei cuius sunt de facto; & si humanitas aut rationalitas abesset Petro & Paulo, non essent eiusdem essentia, cuius sunt de facto; & similiter si risibilitas non conueniret homini, sed abesset ipsi, sequeretur à posteriori quod non esset talis speciei, qualis est de facto, nam natura humana, quæ est essentia hominis de facto, exigit risibilitatem necessario ita, ut nequeat esse de potentia absoluta sine illa, & consequenter si abesset illi de facto, sequeretur quod non exigeret illam sic necessario, & propterea, quod non esset talis naturæ qualis est de facto. Sed per hoc quod mors absit homini aut adsit ipsi, non sequitur, quod sit alterius naturæ & essentia, quamuis ex eo, quod adsit mors, destruatür existentia eius & fiat ut non existat realiter amplius: & idem est de combustionem respectu domus. Vnde bene dicitur, quod mors homini & combustio domui possint adesse absque corruptione eorum quoad essentiam; non vero quoad existentiam.

6. *Ad confirmationem* responderi posset primo eodem modo, quod nigredo coruo, & albedo niui possint abesse absque destructione corui & niui quoad essentiam, quamuis abesse non possint absque eo quod definant existere in rerum natura.

Respondeo etiam secundo distinguendo maiorem; naturaliter, transeat, supernaturaliter, nego maiorem, & concessa minori nego consequentiam.

7. Aduertendum tamen hic obiter, quod quamuis hoc modo possit saluari prædicta definitio, facilius describeretur Accidens esse omne illud quod potest vere & realiter prædicari de aliquo, & negari de ipso pro eodem tempore in sensu diuiso: nam hæc descriptio conuenit morti respectu hominis, & albedini respectu niui, & cuiquam

que alteri accidenti quinti prædicabilis, vere enim mors negatur de homine quando existit realiter homo, & vere prædicatur de ipso saltem denominatiue, quando, postquam semel extitit realiter, desinit existere, tunc enim vere & realiter denominatur esse mortuus; & verum est alba, quando est in statu suo conaturali, & vere posset non esse alba, quando Deus tolleretur ab ipsa albedinem contra existentiam suam connaturalem: nunquam autem potest esse verum, quod vllum aliud prædicabile possit vere prædicari, & vere non prædicari de suis inferioribus; unde illa particula definitionis *sine subiecti corruptione* non videtur tam necessaria, quam possit bene omitti: poterat tamen poni, quia significat unde oritur quod accidens possit vere prædicari & negari de suo subiecto pro diuersis temporibus, aut pro eodem tempore in sensu diuiso, nimirum quia non habet talem necessariam connexionem cum subiecto, ut ex separatione eius sequeretur destructio subiecti.

8. *Quæres* in ordine ad quæ constituitur accidens in esse quinti prædicabilis. *Respondeo* cum communi, quod non in ordine ad illa inferiora de quibus prædicatur per se, quia respectu illorum habet potius rationem generis, aut speciei, verbi gratia albedo respectu huius & illius albedinis habet rationem speciei, & color respectu albedinis & nigredinis rationem generis; sed in ordine ad illa subiecta, de quibus est prædicabile contingenter: quia ut est quintum prædicabile, est prædicabile contingenter: ergo constituitur in esse talis in ordine ad illa, de quibus sic est prædicabile.

Obiicies primo: vniuersale potest prædicari de suis inferioribus, antequam existant; accidens non potest prædicari de subiectis, quibus contingenter conuenit, nisi existant; ergo non est vniuersale in ordine ad illa.

Respondeo distinguendo maiorem: vniuersale ut sic, aut vniuersale, quod contingenter prædicatur, nego; vniuersale quod necessario prædicatur, concedo; & ratio disparitatis oritur ex illa necessaria connexionem, quæ est inter hæc, & non necessaria, quæ est inter illa.

Obiicies secundo: vniuersale debet esse ita commune suis inferioribus, ut identificetur illis realiter: sed accidens respectu illorum subiectorum non est sic commune: ergo.

Respondeo negando maiorem de vniuersali ut sic, aut de vniuersali quinti prædicabilis, quamuis illa concedenda esset de quatuor primis vniuersalibus; & concessa minori nego consequentiam.

9. *Quæres secundo* an omnia accidentia quinti prædicabilis in ratione prædicabilis habeant aliquam differentiam seu diuersitatem specificam, vel quod idem est, an accidentis quinti prædicabilis ut sic, sit species infima vniuersalis ut sic comprehendens sub se solummodo indiuidua numero distincta; an vero sit species subalterna comprehendens sub se plures species conuenientes quidem in ratione quinti prædicabilis ut sic, sed differentes in particulari ratione talis prædicabilitatis.

Respondeo, mihi videri valde probabile quod multa accidentia quinti prædicabilis differant in ratione prædicabilitatis particularis, & quod consequenter accidens quinti prædicabilis ut sic, sit species subalterna & non infima vniuersalis ut sic. *Probat* hoc, quia accidens separabile naturaliter, ut albedo respectu mundi, & accidens inseparabile naturaliter, ut nigredo respectu corui, distinguuntur in prædicabilitate plus quam duo accidentia separabilia, ergo differunt speciei in prædicabilitate. *Probat* autem, quia vnum prædicatur per modum alicuius separabilis accidentis, & alterum per modum alicuius inseparabilis accidentis; non est autem talis diuersitas inter duo accidentia separabilia.

Confirmatur efficaciter, quia proprium est prædicabile distinctæ speciei ab accidente communi quinti prædicabilis ex eo, quod prædicatur per modum alicuius necessario conuenientis suis inferioribus; accidens vero prædicatur per modum contingenter conuenientis, ergo illud accidens quod prædicatur per modum ita conuenientis contingenter, ut nequeat naturaliter separari; & illud quod prædicatur per modum ita contingenter conuenientis, ut

in ordine ad quæ accidens habet rationem vniuersalis.

an accidens quoniam prædicabile ut sic sit species infima vniuersalis.

possit naturaliter separari, erunt distinctæ species. Probat-
tur consequentia à pari.

Confirmatur ulterius, quia accidentia inseparabilia emanant aliquo modo è subiectis suis, & connaturaliter exiguntur ab ipsis, alia vero accidentia separabilia non ita emanant, nec ita connaturaliter exiguntur, ergo alio modo conueniunt subiectis, & consequenter diuerso modo sunt prædicabilia de subiectis.

Coniungitur tertio, quia nihil impedit quominus acci-
dens quinti prædicabilis ut sic, sit species subalterna, continens sub se plures species distinctas, ut patet ex dictis supra disp. 4. num. 111. quæ etiam ut confirmant hanc doctrinam, ita confirmantur per illam. Et hæc de Prædicabilibus sufficiant ad Dei gloriam. Amen.

TRACTATUS DE

PRÆDICAMENTIS,

SEV CATEGORIIS ARISTOTELIS.

QUAMVIS aliqui de auctore libri Prædicamentorum, seu Categoriarum dubitauerint, supponendum tamen cum Doctoribus communiter, eum non alium esse, quam Aristotelem, Peripateticæ Scholæ Principem, de cuius patria, ingenio, vita superfluum videbatur quidpiam hic scribere, tum quod omnibus nota sit, tum quod nihil prorsus conducant ad acquirendam Logicæ aut Philosophiæ notitiam. Agitur autem in hoc tractatu principaliter de decem classibus seu coordinationibus rerum, in quibus res omnes, creatæ scilicet, continentur aliquo modo, seu de rebus omnibus, secundum quod subiacibiles & prædicabiles sunt de se inuicem ut vel ex ipso nomine seu inscriptione patet, nihil enim aliud est prædicamentum, seu categoria, quam talis coordinatio rerum inter se. Vnde cum hic Liber inscribatur de Prædicamentis seu Categoriis, quarum numerus est decem, dicendum est obiectum & materiam, circa quam versatur, esse decem classes seu coordinationes rerum secundum subiacibilitatem & prædicabilitatem: nec est necesse quod omnis tractatus doctrinalis habeat pro obiecto seu materia, circa quam versatur, aliquod obiectum per se vnum, ad quod cætera ordinentur: nam et si hoc fortassis verum sit de qualibet scientia totali ex illis, quæ de facto tradi solent, tamen non est necesse ut quicumque tractatus particularis spectans ad talem scientiam habeat aliquod vnum per se pro obiecto adæquato.

Quod confirmatur sufficienter ex eo, quod si quis vellent instituire vnum tractatum de parvis naturalibus, non esset necesse ut haberet pro obiecto aliud, quam ipsa parua naturalia, quæ vnum non sunt, sed plura, & quidem disparata.

Si quis tamen velit aliquod vnum assignare pro obiecto, dicat esse coordinationem rerum ut sic secundum subiacibilitatem & prædicabilitatem, abstractam ab iis decem coordinationibus.

Diuiditur autem hic tractatus communiter in tres partes, quarum prima est de Antepredicamentis; secunda de Prædicamentis; tertia de Postpredicamentis appellatur: de quibus hoc ipso ordine disputationibus sequentibus agemus.

DISPUTATIO X.

DE ANTEPRÆDICAMENTIS.

IN hac disputatione agemus de aliquibus, de quibus egit Philosophus ante ipsam prædicamentis, quæque propterea Antepredicamenta vocantur.

QVÆSTIO I.

Quid sint Equiuoca, Vniuoca, & Denominatiua.

1. Tota difficultas huius quæstionis consistit in explicatione earum descriptionum, quas dedit ipsemet Philosophus, & omnes Doctores communiter admittunt, circa quam explicationem nulla videtur esse posse realis controuersia, sed solummodo vere nominalis.

Aduertendum autem breuiter Equiuoca alia esse *equiuocantia*, alia *equiuocata*; & similiter Vniuoca alia esse *uniuocantia*, alia *uniuocata*; & Denominatiua alia esse *denominatiua*, alia *denominata*.

Equiuoca equiuocantia sunt nomina illa, quæ de pluribus dicuntur secundum diuersam rationem, ut nomen Gallus dicitur de homine nato in Gallia, & de animali, quod dicitur gallus gallinaceus. *Equiuoca equiuocata* sunt illa plura, de quibus dicitur vnum nomen secundum diuersam rationem.

Vniuoca uni-uocantia sunt nomina illa, quæ dicuntur de pluribus secundum eandem rationem, ut homo dicitur de Petro & Paulo, equus de hoc & illo equo. *Vniuoca uni-uocata* sunt illa plura, de quibus vniuoca uni-uocantia dicuntur, ut Petrus & Paulus respectu hominis.

Denominatiua denominantia sunt illi termini, qui dicuntur de pluribus modo inferius explicando: & *denominatiua denominata* sunt illa plura, de quibus dicuntur illi termini.

CONCLUSIO I.

2. Bene describuntur Equiuoca equiuocata esse, quorum nomen commune est, ratio vero substantia secundum nomen diuersa. Ita cum Aristotele hic omnes Peripatetici.

Probat, quia omnibus & solis æquiuocis competit, declaratque eorum, qua talia sunt, naturam absque superfluitate. Dicitur, *quorum nomen commune est*, quia hic agitur de ipsis, ut habent nomen sibi commune, in quo conueniunt cum vniuocis. Dicitur, *ratio vero substantia secundum nomen diuersa*, per quod distinguuntur ab vniuocis ac denominatiuis. Sensus autem est, quod ratio, significata per nomen illud commune, non sit eadem, sed diuersa ita, ut si explicetur significatio nominis, quatenus dicitur de vno ex æquiuocatis, explicatio sit diuersa ab illa quam habebit, ut dicitur de aliis æquiuocatis, verbi gratia homo natus in Gallia, & gallus gallinaceus sunt æquiuoca æquiuocata respectu nominis Galli; de quolibet enim ex illis dicitur, quod sit Gallus: sed si explicetur quid significat Gallus, ut dicitur de homine nato in Gallia, explicabitur sine dubio diuerso modo, ac explicandum est quid significat, quatenus dicitur de animali illo irrationali, quod dicitur gallus. Idem est de homine vero, & picto, quæ sunt equiuoca æquiuocata respectu vocis homo, & de vrina ac medicina respectu vocis sana.

3. Ex hac definitione æquiuocorum æquiuocatorum, facile formari potest definitio æquiuocantium, quam propterea non curauit proponere Philosophus, sunt enim æquiuoca æquiuocantia illa nomina, quæ dicuntur de pluribus habentibus diuersam substantiæ rationem, quatenus significantur per illa nomina, seu quæ dicuntur de pluribus, secundum diuersam tamen significationem, ut Gallus, ridere.

Si autem quæzatur; an nomeu æquiuocum sit vnum nomen, an multiplex, dicendum quod sit absolute & simpliciter vnum nomen, quamuis habeat multas significationes: sicut enim qui habet multas scientias non dicitur multi scientes, sed vnus sciens: ita vna vox, licet habeat multas significationes, non debet dici multæ voces, nec multa significatiua, sed vna vox & vnum significatiuum.

4. Obiicitur: æquiuoca non possunt definiri secundum Philosophum 6. Top. cap. 2. & ratio est, quia definitio est ratio vna: sed æquiuoca non habent vnā rationem, sed multas ac diuersas rationes, & consequenter nequeunt definiri vnica definitione, quæ cuiuslibet ex ipsis conueniat: ergo æquiuoca non bene definiuntur prædicta definitione quæ eam non possunt definiri, nequeant definiri bene.

Respondetur

Quid sit
obiectum
huius tractatus.

Quid
æquiuoca
æquiuocata

Quid
æquiuoca-
sum

Quid uni-
uocum uni-
uocans.

Quid uni-
uocum uni-
uocatum.

Quid de-
nominati-
uum deno-
minans.

Quid de-
nominati-
uum denomi-
natum.

Descriptio
æquiuoca-
rum.

An nomen
æquiuoca
sit vnum
vel multi-
plex.